

ZGODOVINSKI ZBORNIK.

PRILOGA

LJUBLJANSKEMU ŠKOFLJSKEMU LISTU.

—*** *Izhaja v nedoločenih obrokih.* ***—

Deseto leto.

Ljubljana, meseca novembra 1897.

Številka 40.

Libellus poematum

sive carminum variorum generum

Thomae Chrönn

Labacensis Carniolani LL. Candidati.

(Nadaljevanje.)

21.

In natalem clarissimi et excellentissimi viri domini Hieronymi Garzonii Illustris I. C. Comitis Palatini, sereniss. Archiducis Caroli consiliarii, et supremi terrae Gradiscae vicarii etc.

Per bissena regens, postquam Sol ignifer, astra
Ancipitis liquit pendula regna lybrae,
Inque novam laxare viam properabat habenas
Scorpio qua curvat brachia saeva minax:
Oceano eduxit iunctos temone jugales,
Gratus auratas exeruitque comas.
Et Stridone sati quandam patris, ore trilinguis
Aethereo rutulum protulit axe diem.
Gaudia florilegis suasitque tenerrima Nymphis
Hactenus ac raro ducere more choros.
Et cantus miscere novos, cytharamque sonantem,
Fundere disparibus nexaque verba modis.
Vel calathis inferre rosas, cythisumque virentem,
Quasve comas Phoebo Daphnis amata gerit.
Prolem Lyriopes, immortalemque amaranthum,
Quaeque bifrons pulchre lilia collis alit.
Sertaque virginis ex his componere palmis,
Qualia Latoidi saepe tulere Deo.
Flore dehinc meritos picto redimire capillos,
Est cuius praesens nomine festa dies.

Illi et veridico (nec enim quem fallere possunt
Fallere Castalii nescia turba chori)
Exoptare metris, aequor ne missa per altum
Quassa procelloso turbine cimba cadat.
Nacta sed optatum divino numine portum
Perstet in astrifero sancta decensque polo.
Dixit: et imperio morem gessere puellae,
Hinc celeri tentant orgya laeta pede.
Daphnide pars faciunt speciosam fronde coronam,
Jungendam capiti, clare patronae, tuo.
At jussi reliquae memores Heliconis alumnae
Harmoniae feriunt tinnula fila chelis,
Roscida solenni portantes ordine serta.
Qua fluit intortis turbidus Ister aquis.
Inde petunt celsae fulgentia tecta Viennae;
Alite sceptrigeri tecta notata Jovis,
Obvius in primo radianti limine turbae
Sponte sua, votis mille petitus adest.
Scilicet Aönii cuius natalibus antri
Ingeminant plausus numina magna leves.
Agmine Calliope mox formosissima toto
Edidit arguto talia dicta sono:

Macte animo excuso, Garzoni maxime, quem nunc
Coelesti Virtus clarior arce locat:
Accipe perpetuae fragrantia sertula myrthi,
Quae Charitum docta nexuit arte manus.

Est aliquid Nymphas donis coluisse supernis
Exortum vitae, principiumque tuae.
Hunc siquidem pauci Divum meruere decorem
Nempe quibus placuit Palladis arma sequi,
Sed te sacra Themis, pariter Tritonia virgo,
Duxit eo, quo vix altius ire queas.
Copia cui facta est illis ductricibus ampla
Culmina Parnassi ferre per alta gradum:
Scire vel impliciti nodosa volumina juris
Ut tibi non videant tempora nostra parem.

Ite Dionaeae Musis gratissima myrthi
Munere, dividuas atque ligate comas.
Ite triumphales circum cava tempora lauri,
Serpente, quo celebris sit genitalis honor.
Exige quem Phoebo, superisque ita vivere visum est
O decus, o nostri splendide fontis honos,
Cecropii aeternum durantia lustra Platonis
Fama tibi nullo est nam ruitura die.
Quod superest votis petimus concordibus omnes
Fata tibi placide currere laeta diu.

Viennae ipsa die natalifera oblatum.

22.

Ode sapphica, in honorem serenissimi Archiducis Austriae Caroli filii Ferdinandi, cum anno 1578 salutari fonte ablueretur in templo affixa.

Voce jucunda cecinisse turbam
Coelicam scimus, genitrix Maria
Dum Dei patris peperit potentem
Numine prolem.

Laeta sanctorum domus Angelorum
Tunc erat, cantus melici sonabant,
Quo recens Christus Deus esset infans
Natus in orbem.

Corda pastorum fuerant amore.
Gaudio magno quoque mox repleta,
Nuncius coeli nova dum tulisset
Aethere ab alto.

Persici reges regione longa
Fulgida stella duce visitantes
Hunc recens natum Dominum, profundunt
Munera trina.

Tantus etsi jam fuit haud triumphus
Cum novus princeps satus orbe nobis,
Attamen plausus aliquos dedere
Numina coeli.

Millies salve soboles tenella
Caroli patris generosa proles:
Millies salve decus et Mariae
Archiducale.

Antequam Phoebus veniebat ortu,
Aureo mundum in patulum, sereno
Plurimos vultu, (quia te petebant)
Exhilarasti.

Nonne gaudebat polus incitato
Astrifer cursu celebrique plausu
Cuncta splendorem rutilum ferebant,
Astra referto?

Omnis aufigit timor et recessit,
Tunc metus cordis, lachrimasque moestas
A genis moestis soboles Mariae
Splendida tersit.

Hunc novum natum fore non putatis
Principem magnum patriaeque patrem:
Graezii nostri fore non putatis
Dicite Musae?

Tu reges Christi populum sereni
Principis proles, juvenilis aetas,
Si in virum cresces, validasque reddent
Tempora vires.

Graezium gaude, peperit Maria
Indolis celsae soboles Maria
Caroli nostri generosa conjux,
Styria gaude.

Ecce habes qui te poterit tueri
Bella si vellet patriae movere
Martius, saevus, truculentus hostis
Carnia tellus.

Hunc tibi servet moderator orbis
Integrum vitae scelerisque purum
Principem natum, fideique nostrae
Relligiosum.

23.

Distichon numerale, annum ortus continens.

ArChIDVCIs soboLes ZenonIs sIDere nata
NI fallIt VersV CaLLIopea sVo.

Defendet, colet, eiiciet, superabit, amabit,
Jura, fidem, haereticos; Turcica tela, Deum.
Gaudebit, crescat, calcabit, condet, adibit,
Doctis, divitiis, Daemonia, templis, polum.

24.

Colloquium inter serenissimos archiduces Carolum patrem, et Ferdinandum filium recens natum, de bello Turcico ineundo.

Pater.	Arma ne, Volvite vos Sumite Tempus R-upto I Pater A-Ita quidam	Strymonium dux infans Iacula, est in quos Bupaedas Mavors si Olympiacum si saecula Naupolo vaesanae Armisionas contra hostem	Noverit hoste Othomanica turb- Terreat horro- Verna reduce- Spicula gent- Expone cohorte- Tempore faust-	M-:overit A-rdor habet R:-e nulla T,-entabit I-ndentur, S-clopis O,-mnia ad	Armigerum lata per arva sonu- Voluci plurimus orbe sag- Superat parvus in arma pue- Teres hoc cassis ahenna capu- Redeant in iuga prisca sol- I-mmanes concute, vince Geta- A-rbitrium ut sint tibi fausta rog-	M?
Filius.						
	Tempus R-upto I Pater	Olympiacum si saecula Naupolo vaesanae Armisionas contra hostem	Verna reduce- Spicula gent- Expone cohorte- Tempore faust-	T,-entabit I-ndentur, S-clopis O,-mnia ad	Terreat horro- Redeant in iuga prisca sol- I-mmanes concute, vince Geta- A-rbitrium ut sint tibi fausta rog-	A.
	A-Ita quidam	Moles pugnae sed	Hector ad Ida-	N:-ec minor in	Dubiis si feret arma Laco	R.
	Duxeris,	Exemplaque tuis velut	Ominis aur-	A,-strigera	Veniet grandis honore plag-	T.
	Verte	Notos, flabit fortunati	Stabat in arvi-	S-ternet	Mucropotens in Mahometigena-	I.
	Milite	Suffecto Nemesis tua	Turcica fact-	C-uxilia heia	Celso dat Deus axe bon-	S.
	Carole	Chare Pater, metuas ne	Interit edi-	C?-onditor	Audaci vi periturus an ha-	A.
	Ah quis	Erit Victor Dux si Deus	Funere atroc-	I-nteritura	Ruent, grandis origo mal-	C?
	Religio,	Lex atque fides cum	Excelsus in arc-	E-luit haud	Orcus si tua regna Styg-	A.
	O Pater	Excelsa resides qui	Rumpe lanista-	S,-uspice,	Laedatur ne tua sacra fide-	S.
	Letho	Barbaricos funesto	Immania dedu-	C- Culmina, et	Ossifragis militibus benefa-	C.
	Othmannos	Reseca: contra hos	Surgis amor-	E?-excoquit an	Pectus bellica flamma fac-	E?
Pater.	Parve quid	Est? Martis cur tanto	Fulcire bidenta-	L-aesum, quo	Restat grandius orbe nihili	L?
	Rite ne	Sacratum repetis	Vallor ab ign-	E-ferri	Iuvat bello per atra di-	E.
Filius.	Id facio	Votum: fidei quia	Exiet ardo-	R,-ictu	Nos contra stet licet ille furo-	R.
	Nominis	Integritas, animo et satus	Rector Olymp-	I,-ndidit ut	Colorem numina nulla sol-	I.
	Cor tribuit	Rectum mihi summus	Illitus und-	A, mundo	Eiurans carnem, Erebique Styg-	A.
	Exivi	Tandem miles sacra	Tramite done-	C-oelesti ipsa	Poli ad limina ducar ab hin-	C.
	Protinus hoc	Votum servato	Temnite roba-	R,-estat	Sidera maximus arce deco-	R.
	Sumite	Tela viri, nostrum ne	Volumina gent-	I-nfundit,	Dabit haec rex Deus arva col-	I.
	Dacius	Ister aquis ubi magna	Vortice fine-	S,-ceptringae	Extollet culmina summa domu-	S.
	Exeret	Austriacos ingenti	Stirpe parentu-	M-undo infers,	Populum respice amaque tuu-	M.
	Parvule	Dux animum majorum	Armaque Stir-	I,-illustri	Reddunt debita sceptra Duc-	I.
	Riphaea	Imperio iuga subdunt	Referre tribuna-	L-axat dum	Iaculum Turcica in castra pugi-	L.
	Insuper	Exoptat gens Carna	Domicilia fund-	I,-nlyctum et hic	Nomen vult ducis esse su-	I.
	Nota	Carinthiaci quae sint	Ornamenta reponi	T-ot, plaga quot	Comites Gorritiensis habe-	T.
	Campis	Elysi laudum	Rure Timau-	E,-vehis	Invicto regna Lyburna lov-	E.
	Irruis e	Rutilo fluviorum	In his modo terri-	S:-idereum	Promit coelica turma melo-	S.
	Princeps	Illustris quod natus	Nubila plaudunt-	T,-urbant qui	Et fluctus flumina, metra canun-	T.
	Exultat	Terra, aëris, ignis,	Austria viv-	E,-t nos cum	Nostro dirige secla Duc-	E.
	Nympha annos,	Ait, aeternos vive,	Robore robu-	R,-ebus in	Adversis si manus ulla datu-	R.
	Amplifica	Nostrum Mavorti	Martis asylo	N.-os sub te	Tutos Pancratista vide-	N?
	Tu princeps	Novus es, postremi	Inlycta viv-	E,-t sic	Vive, omni salva sit hora di-	E.
	Vive vis	Oceano figens sceptra	Specete-	S:-ede tuum	Supera constituesque decu-	S.
	Semper eris	Sospes si vultu sidera				

25.

In nuptias magnifici et strenui viri, Domini Wolfgangi Schranzii, I. U. Doctoris, et sereniss. principis Caroli Archiducis Austriae etc. procancellarii aulici. Nobiliss. virginem Margaretham Marschalchin a Pappenheim, e choro sereniss. Mariae Ducissae Bavariae virgineo, ducentis, Epithalamion, in aedibus suburbanis die Mercurii post festum s. Catarinae anno 1584 affixum.

Ipsa velut radiis stellas imitata coruscis,
Mennoniisque procul nascens preciosa sub oris
Margaris, hic, ustos ubi Ganges alluit Indos,
Et celeres reparat, lato Sol aequore currus:
Insolito splendore capit formaque nitenti
Mortales oculos, stimulatque Cupidine habendi.
Quaesitam donec multis sudoribus, ultro
Possideant laeti: tunc auro fibula multo
Hanc tenet, atque micant baccata monilia collo.

Sic, nove sponge, tuos quae nunc optata iugales
Ingreditur thalamos, natalibus edita claris,
Et quoque virginei lumen spectabile coetus:
Cuius et imperii genitor Marschalcus honore

Fulserat eximio quondam, sed lege solutus
Fatali captat rutilis nova gaudia coelis:
Margarita decens, postquam non segnior arcu
Torsit in infractam flammantia spicula mentem
Aliger ipse puer, taedasque accedit honestas,
O quoties, votis non te frustrantibus unquam,
Est repetita tibi: quoties, dum longior hora,
Exoptata fuit, cupidos tardavit amantes?
Non dabat assueta requie, somnoque potiri,
Tristibus aut animum quandoque levare quaerelis:
Alma Venus donec tacitos miserata dolores
Leniit, et placido vulnus sanavit amore.
Hinc tibi magnificas construxit Carolus ingens
Taedorum pompas, dudum quas tempore longo
Emeruit spectata fides, pietas, et gratia morum.
Unde aliis virtute viris praestantibus, alte
Praeferis: pulchreque comas tibi sponsa rosetis
Implicat, et capiti meritum diadema reponit.
Et jam rursus ades vultu laetissima signans
Gaudia, quando imis late tibi condita saxis
Sponsa recens, sponsoque novo, nova tecta subintrat.
Eius in occursum thalami Cytheraea sacrati
Praeses, cum Nymphis teneri, grex bellus, amores,
Et grandaeva virum, pariter juvenumque senumque

Agmina se effundunt: plausu fremituque secundo
Optantes, coepitis ut vincula jugalia sacris.
Ille Pater superum, cui sunt Hymenaeia cordi
Festa, velit medio, faustoque secundare fine.

Ipse ego Panchaeo coelestia numina thure
Supplex sollicitans tandem in mea vota vocabo:
Ut novies patulo quando aurea Cynthia coelo,
Extulerit gelidis radiantia lumina bigis,
Compleritque simul celeri vaga cornua cursu,
Mascula vos proles, roseis decorata capillis
Efficiat geminos foelici sorte parentes.

26.

Epigramma harmonicis numeris absolutum, in nuptias nobilis viri Dmni Mathiae Eiseler, Euphrosinam suam Chremse Austriae thoro iungentis.

Dum thalamis Cytheraea novos repararet honores,
Chremsaque jam festa fronde vireret humus:
Euphrosine sociis Musarum vocibus usa,
Haec cecinit paribus verba Hymenaea sonis:
Ferte quibus crescit teneris nova flamma medullis
Gaudia legitimi non inhonora thori.
Sint vobis faciles anni, sit cana senecta,
Vestraque multiplici prole beata domus.
Vivite longaevi Mathia Euphrosina sponsi,
Nam vestros fugiet sors inimica thoros.

27.

Triumphus amoris.

Graecenses proprius lymphas, vicinaque rura
Est nemus ilicibus roboribusque frequens:
Quod nec oves placidae, nec amantes saxa capellae,
Ulla nec ingreditur rustica turba boves.
Non locus Austriacis iucundior extat in arvis,
Tempe ego Thessalici sic reor esse soli.
Frondibus hic blando strepitat levis aura susurro,
Ismaria et dulces dat Philomela sonos.
Hic violis texunt formosae sera puellae,
Fatidici hic vates carmina docta canunt.
Intus nulla manet vel dente armata vel ungue,
Membra hominum valeat quae laniare fera.
Non hic Ammodites, non tortus sibilat anguis
Nec petit incautos vipera dira pedes.
Veloces verum cervi, damaeque fugaces
Continuo virides depopulantur agros.
Saepe suis agitat nemorum quos Diva molossis,
Dum solet herbifera tendere rete plaga.
In medio fons est nitidis argenteus undis,
Qui gelido semper rore madescit humum.
Cuius in irriguis solita est colludere lymphis
Atque lavare suas saepe Diana genas.
Cuius et ad ripas Nymphaeum turba videtur,
Saepe simul chorea luxuriare levi.
Terra rosas generat, quibus alma ornatur Dione
Forma Dardanio iudice prima fuit.
Parturit et fructus, quos nec Babylonia tellus,

Nec senis Alcyoni floridus hortus habet.
Scilicet Hesperidum quondam quae mala fuere
Arboribus, frondet talibus iste locus.
Hic igitur gelidis spaciabar nuper in umbris
Cum virides premeret Sirius acer agros.
Nulla aderat nostros posset quae vertere gressus,
Sed sua tunc tenuit quaelibet antra fera.
Sola gemens Thracis memorabat facta mariti,
Daulias et parvum collachrimabat Ithin.
Cuius ego auscultans questus, felicior ales
Me, quantum est melior sors tua sorte mea.
Patria te teneat, teneat seu Thracia tellus,
Sis vel in Assiriis Indiacisque locis:
Dulcisonis semper mulces concentibus auras
Deque tuo fingis gutture mille modos.
Nec tua tam turbant Actaeae carmina Athenae
Quam vel Bistonium Theutonicumque solum.
Sis foelix, iterum foelix, ter dixero foelix,
Qui sic carminibus tristia fata levas.
Non ego sic possem tristes lenire dolores,
Qui mea (proh pietas) pectora vincita tenent.
Nec mea sanaret medicinae inventor Apollo
Vulnera, Phylliridis nec manus apta senis.
Nam quoties tecum turbato pectore volvo,
Ut liqui patriae moenia cara meae:
Et repeto carum fratrem, caramque sororem,
Ut flentes abitu condoluere meo:
Quaeque mihi madidis genitrix narravit ocellis
Verba tenens et me, cum mihi tristis ait:
Theutona regna petes fili dulcissime, matrem
Amplius haud poteris forte videre tuam:
Vade et sis foelix, redeas felicibus auris
Nate senectutis fidae columna meae.
Moesta ita suffundo lachrymarum lumina rore,
Vix Phaeontiades sic lacrimasse putes.
Nec tantum patriae tristis me cura fatigat,
Dilectaeque domus tecta relicta meae:
Quam crudelis Amor, nostrisque in ossibus ignis,
Atque pharetrata spicula jacta manu.
Hic mihi si tenues hostis non ureret artus,
Desertae patriae nulla querela foret.
Ure tamen, crudelis Amor, praecordia: taedas
Fortiter insanas pectora nostra ferent.
Tu cui concessum est, cantu lenire dolorem
Perge in dulcisonis o Philomela modis.
Nostra dabunt solitum infoelicia pectora questum,
Et nostrum carmen nil nisi planctus erit.
Sic ego defessus lachrymis, multisque querelis,
Herbifero imposui languida membra solo.
Ut jacui resupinus humili, dumque ipsa soporem
Moverat, (haud vigili lumine) sera quies,
En stetit ante meos oculos pulcherrima Nympha
Nympha puellaris gloria prima chori.
Os humerosque Deae similis, cui tincta cruce
Sidonio, circum candida vestis erat.
Ornabant laevam Pharetrae, celeresque sagittae
Atque decus capitis pictus Adonis erat.
Obstupui, gelidusque coit mihi frigore sanguis,
Tristis et in toto corpore pallor erat.
Cum mihi: cur nimiis juvenis turbare querelis?

Eequid in afflito pectore volvis? ait.
 Surge age, et Idalium celebrem mirare triumphum,
 Isthac victores qui modo ducet equos.
 Quaeque Ducas clari victoria signa sequuntur,
 Agmina: tu paucis illa notato modis.
 Quod tibi desierint faciles si in carmine vires,
 Ut nequeas digna verba sonare lyra:
 En ego cuncta tibi narrabo ex ordine: victos
 Ipsa Duces dicam, victaque signa Ducum.
 Tu, quae me referent Nympha dictante Camaenae
 Victo Wolfgango munera parva dabis,
 Haec vix finierat, subito cum multa tubarum,
 Auribus intonuit vox tremebunda meis.
 Nec mora, Victoris victoria signa feruntur,
 Captaque coniparent agmina mille virum.
 Tales Roma suos quondam celebrasse triumphos,
 Dicitur, et fortes sic coluisse Duces:
 Cum sua Daphnaea redimiti tempora fronde
 Intrarent urbis Julia templa suae.
 Undique captorum Dux circumdante caterva
 Ibat ovans, albis quattuor actus equis.
 Gemmis ornato curru insidebat et auro,
 Lemniaci quondam munera chara Dei.
 Non equites tutantur eum, nec ulla tegebat
 Corpus turma Ducas, militiaeque manus.
 Solus miles erat, captorum solus et ipse
 Victor, pars et eques bellica nulla fuit.
 Quodque magis mirum, nudusque orbusque puerque,
 Qui tenera jactet spicula saeva manu.
 Tanta quibus stravit clarorum corpora regum,
 Vicit et aetherei numina magna poli.
 Quem praecedebat multorum turba virorum,
 Non oculis poteram quam numerare meis.
 Induperatores vidi, Regesque, Ducesque
 Vidi Niliacos, Cecropiosque sophos.
 Atque alios multos fama super aethera notos,
 Fortia victrici colla dedisse jugo.
 Inter quos ipsum coeli qui fulmina torquet,
 Agnovi primum, prima tenere loca.
 Ipsum cognovi, quem victum saepe fuisse,
 Dictaeo est testis vecta puella bove.
 Est testis fulvi decepta cupidine nymbi
 Falsus quam Satyrus, quamque feffellit olor
 Quem sectabatur Dux belli, ferrea frustra
 Attentans claudi rumpere vincla fabri.
 Et Deus Admeti Regis, qui pavit ad amnem
 Amphrysium armentum, lanigerosque greges.
 Arcadii Panes, Fauni, Satyrique bicornes,
 Sacraque Pastorum caetera turba Deum.
 Quos ego dum tacitus spectarem, singula quaerens
 Essent tunc oculis ut patefacta meis:
 Corripit a tergo me formosissima Nympha
 Et tales roseo protulit ore sonos:
 Iste est, quem proprio appellamus nomine Amorem
 Qui de tot victis clara trophya refert.
 Desidia hunc genuit, genitum nos fovimus ipsae
 Atque inter superos regna superba tenet.
 Is tot devicit, quae cernis, corpora: partim
 Exilio: partim carcere, fraude, nece.
 Ille (vides?) primus facie, gressuque superbis,

Belligeri quondam gloria prima chori:
 Julius est Caesar, meritrix quem pulchra Canopum
 Jucundo fecit subdere colla jugo.
 Unde quid est mirum, totum si vicerit orbem,
 Si est factus praedae sordida praeda suae?
 Proximus Augustus, pietate insignis et armis
 En stratus telis Livia amata tuis.
 Tertius Aeneadum clara de gente creatus
 Incestus, dirus, sanguineusque Nero.
 Qui licet Hircano fuerit truculentior ursus,
 Attamen Idalias sensit et ille faces.
 Hunc sequitur Marcus, Faustinæ gratus amatae
 Et sophus amplexus captus amore petit.
 Traianusque pius Tartessia gloria: quique
 Dicitur Aegeiae concubuisse sinu.
 Illeque qui rapuit patrios ex hoste penates,
 Proque nova in Latium conjuge signa tulit.
 Quod si forte tuas etiam pervenit ad aures,
 Pellaei nomen, claraque gesta Ducas:
 Persica quique nigri superavit castra Darii,
 Area cui totus parvula mundus erat:
 Hi sunt quos una incedentes cernimus, ambo
 Aeterna Aemalii lausque decusque soli.
 Sed quidnam prodest tantos retulisse triumphos
 Atque hasta Hectoreum contemerasse latus?
 Regnaque totius mundi vicensse potenter
 Vincere si infantem non potuere Ducem?
 Post Alcumenea laudatum conspice natum,
 Dura ducentem mollia pensa manu.
 Et quem mille ferae, quem non Sthenelæus hostis
 Non potuit Juno vincere, vicit Amor.
 Quique Molarchæi prostravit terga Leonis,
 Vinxit et inferni guttura terna canis.
 Non pudet incingi lascivæ veste puellæ
 Corpus, nec Domina multa jubente pati.
 Itque legens una foelix vestigia Theseus,
 Deque sua quaeritur Cressa puella fide.
 Et qui Leucippi geminas rapuere sorores
 Oebalide nati candida Leda tui.
 Atque Mycaenaeus magnorum ductor Achivum
 Vidisti cineres quo duce Troia tuas
 Cui comes accedit frater Menelaus et ille
 Qui voluit Phrygiam tangere primus humum.
 Tydidesque Thoas, Palamedes, Nestor, Ulysses,
 Claraque Graiorum caetera turba Ducum.
 Parte alia Troiae generosam, conspice, pubem,
 Pro patriæ in mediam quae volat ausa necem.
 Hectora nonne vides, Danaum qui versa fatigat
 Agmina et Andromaches candida membra petit.
 En tibi Mygdonides Scaeae prope limina caesus
 Cassandram traheret dum fera turba suam
 En Lacedaemonia famosus pellicis hospes,
 Qui patriæ solus certa ruina fuit.
 Quemque Dionaeus frondosa amplexus in Ida
 Fovit, Dardaniis fabula nota viris.
 Quique ausus celeri est campo decurrere cursu
 Adiutus pomis Diva Dione tuis.
 Et qui Disseam Phrygias deduxit ad oras
 Nympham, quae tantos vicerat ante procos.
 Quos inter, charae deflet Rhodopeus Orpheus

Conjugis immerito fata severa sua.
 Et qui Cadmaeae cecidit sub moenibus urbis,
 In cuius coniux prosiluitque rogos.
 Quid: nil horridius Polipheno senserat Aethna
 Saevior indomitis fratribus ille fuit:
 Dum tamen aequoreas solito spaciaris ad undas
 Exarsit visa te Galatea Cyclops.
 Nec puduit saevum mites adhibere loquelas,
 Ornare et rigidam pectine et arte comam.
 Jamque tibi fructus donat, jam carmina cantat,
 Jam tibi lanigeros dicit ad arva greges.
 Quem neque mortales saevos demittere mores
 Fecerunt, magni cura nec ulla Jovis:
 Leniit hunc blandae Veneris placidissima proles,
 Cui cedunt homines, cedit et ipse Deus.
 En ut flagrantes ex imo pectore flammis
 Evomat, utque suam te Galatea vocet?
 Et silices rapiat montoso e vertice raptos
 Inque tuum iaciat flebilis Aci latus?
 Est hic Deucalion, Pyrrae succensus amore,
 Et qui decepit Phyllida fictus amor
 Et qui Cydippen mentito carmine vicit,
 Es tu et Abidaenae magne natator aquae.
 Hypsiphileque tuus frustra exspectatus Jason,
 Vindictam at fecit Phasias ipsa tuam.
 Quid: Boreamne ferum cernemus te quoque victim?
 Credibile est te illas sustinuisse faces?
 Crudelis cum sis, superis terrisque mineris
 Possibile est pueri te subiisse iugum?
 Possibile est. Pandioniam rapuisse puellam
 Diceris, et votis consuluisse tuis.
 Quin te se comitem tumidarum Rector aquarum
 Praebet, nec mediis (hei mihi) tutus aquis.
 Atque Acherontei dirus dominator Averni
 Demulxit cuius pectora blanda Venus.
 Tithonusque pater, quem dulci saepe fovere
 Diceris amplexu culta puella tuo.
 En atque Oceanus diuturnis obsitus annis,
 Flagrat inextincto Tethys igne sua.
 Cerne Agamemnonium, quem sensit Pyrrhus Orestem,
 Dum contra Hermionem fasque piumque tenet.
 Aspice Belidem tantis de fratribus unum,
 Mortua germanum caetera turba iacet.
 Hypolle infelix, velles coluisse Dionem,
 Cum consternatis diripereris equis.
 Sed tamen ad vitam revocatus amore Dione,
 Diceris Idalio succubuisse iugo.
 Nec te praeteream Numidarum gloria magna
 O Masinissa, nec nem nec Sophonisba tuam
 Nec vos Dircaeos per mutua vulnera fratres
 Immersos nigris in Phlegetontis aquis.
 Teque apud Assyrios extinctum Pyrame muros,
 Atque tuae Thisbes tristia fata canam.
 Huc sed flecte acies, Judaeamque aspice gentem,
 Non minus atque ipsam dulci in amore mori.
 En sacer ille senex proles Jesseia David,
 Commisit populum cui Deus ipse suum.
 Bersabeae captus forma, tibi magne Cupido
 Militat, et sequitur iam tua castra lubens.
 En sapiens Salomon terris quo doctior ullus
 Non erat, insano captus amore iacet.

Atque alii patres quos saecula prisca tulerunt,
 Omnes Idalii praeda superba Dei.
 Aspice primaevum prima cum matre parentem,
 Gustantem istius pabula prima Ducis.
 Ecce pater Jacob bis septem servus in annos
 Permanet, ut pulchram posset habere Rachel.
 Aspice Holofernem somno vinoque sepultum,
 Cui caput hostilis foemina turpe scidit.
 Quemque Phylestaeos subita oppressisse ruina
 Dicunt, nec certam pertimuisse necem.¹⁾
 Et qui funesto germanae incensus amore,
 Traxit fraternalis in sua fata manus.
 Quorsum sed tendo, nec vatum nomina dico.
 Primis debueram quae numerare locis.
 Artem nam primi pulchrae coluere Diones.
 Et primi flammis incaluere novis.
 Abstulit ardente Gallum formosa Lycoris,
 Lesbia te tenuit docte Catulle tua.
 Vivit ab insigni Nemesis celebrata Tibullo,
 Vivit Pelignis nota Corynna sonis.
 Callimachus Lydam dilexit, Hyantida stella,
 Quintilia et calui maxima flamma fuit
 Pectora quintiam magni incaluere Platonis,
 Cuius tam celebri carmine notus amor.
 Cui comes et Cicero Romanae gloria linguae
 Accensus vultu Tullia pulchra tuo.
 Denique cuncta videt subjecta Cupidinis armis
 Aethere prospiciens Phoebus utrumque polum.
 Nec mare, nec terras, ignem, nec sidera haberent
 Mortales, summus ni Deus esset amor.
 Sed iam foeminei comparet gloria sexus,
 Gloria magnanimo non fugienda Duci.
 Quae prima incedit regali stirpe superba,
 Frons est, et stellis condecorata novem.
 Et quam servatae Theseus pro munere vitae,
 Liquisti ignotis perfide littoribus.
 Quamque triumphato dum victor ab orbe redires
 Vexisti curru candide Bacche tuo.
 Altera Sidonii Regis charissima nata
 Caerula fallaci per vada vecta bove.
 Hypsipyle hanc sequitur regnis expulsa paternis
 Atque suum deflet Laodomeia virum.
 Et quae Germani dispersit membra: pelasgas
 Cum temere ingressa est conscelerata rates.
 Quaeque ausa est matris temerare cubilia: quaeque
 Deperiit nati membra pudica sui.
 Feminea at longum est tot dicere nomina: namtot
 Vix sunt sidereo lucida signa polo.
 Est hic Penelope, Dido, Capanea coniux
 Alcestis, Thysbe, portia, et Alcyone.
 Julia Gunilde, Procris, Lucretia, quaeque
 Est Mithridataeas concomitata vias
 Atque aliae innumerae, quarum sine nomine floret
 Ingens ingenuae fama pudicitiae.
 Gloria sed tanti decus est suprema triumphi
 Wolfgangus pueri facta rapina trucis.
 (*Praeda duo nuper facti opulenta Ducis,*)²⁾
 Praeda duo nuper facti opulenta Ducis.
 E quibus ille thori expertem iam degere vitam

¹⁾ Inačica manum.²⁾ Inačica pesnikova mesto prejšnje vrstice.

Dum flesset taedae foedera rupta sacrae,
 Vota tulit. Sed non Veneris tulit inclita proles,
 Iussit at Aeolios hinc rapere illa Notos.
 Corripiensque manu pharetram pharetratus et arcum,
 Atque legens lateri spicula certa suo:
 Fortia mox calidis feriendo pectora flammis
 Fecit contemptos rite placere thoros.
 Moxque illi Nymphae thalamos sociavit honestae,
 Quos cuperet summus Juppiter ipse sibi.
 Jamque illi Charites tenero viridantia lauro,
 Mixtaque cum myrto florea serta parant.
 Et Venus insignes procul en longo ordine pompas
 Dicit. Et in mediis en Hymenaeus adest.
 Tu quoque Phoebe tui radiantia lumina vultus
 Plus solito Eō fulgida ab axe micant.
 Ut recrees sponsum, sponsae faustumque preceris
 Omen, ut hinc sobolis mater honore siat.
 Et tua mox sponsi soror invisura cubile
 Ecce venit niveis vecta Diana rotis.
 Pierisque iugi castissima turba sorores,
 Coniugii sacri carmina sacra canunt.
 Quaeque suum nemorum fallunt in vallibus aevum
 Cum teneris spargunt lilia mixta rosis:
 Et quae per vacuum collidunt aera Nymphae,
 Cingunt foelici nubila quaeque choro.
 Aspirantque leves Syriae fragrantis odores,
 Quasque legit messes sole perustus Arabs.
 Denique conjugii Juno fert pronuba taedas,
 Queis calet et sponsus sponsaque casta simul.
 Ipse Hymen insueto formosus carmine tales
 In medio voces agmine sponte refert.
 Victor Hymen rursus sopitos excitat ignes,
 Et sponso et sponsae cingite fronde caput.
 Victor Hymen thalamos rursus nunc taedifer aptat,
 Et sponsum et sponsam vita serena manet.
 Victor Hymen socii servat nova fulcra cubilis
 Et semper molles excubat ante fores.
 Hactenus has voces tenues, responsaque Divae
 Audisti et quicquid sub iuga misit amor.
 Quae postquam thalami custodem vedit adesse,
 Et vocem, et corpus mobilis aura tulit.
 Illaque seu coelo, seu silvis se abdidit: huius
 Prima tamen semper carminis author erit.
 Quaeque ego puniceis hausi prostratus in herbis
 Absumptum ut gemuit Daulias ales Ithym.
 Accipe gratanter victricia signa, Duce mque
 Insequere Idalii tu quoque praeda iugi.

28.

In nuptias nobilis et excellentissimi viri Wolfgangi Jöchlunger I. C. sereniss. Caroli Archiducis Austriae Consiliarii et fisci advocati: Annam Virginem, Hieremiae Müller judicis Schat-Wienensis filiam ducentis 6. Januarii anno 1585.

Gaudia nunc iterum festis Hymenaeia sacris
 Surgunt, atque iocos Diva Cytheris alit.
 Sistra sonant, tentata levi quoque pollice, late
 Edunt regificum plectra canora melos.

Arduus aerisonis reboat clangoribus aether,
 Et varios singit tibia docta modos.
 Fulgida Nympharum viridantibus agmina campis,
 Murmure quos riguo Gorgonis unda secat:
 Passibus ad thalamos fervent properare citatis,
 Quos Gnidii struxit subdola dextra Dei.
 Forte sub Idalio, qua se notissima, luco
 Iactat Carpathiis Cyprus amoena vadis:
 Constitit aligeri Venus aurea mater Amoris,
 Scilicet assueti capti nitore loci.
 Ver ibi perpetuo spirans, et amaracus hortis,
 Distinctumque rosa versicolore solum.
 Illud Hyperboreae metuunt vestire pruinæ,
 Flatibus aut venti perdomuisse truces.
 Lenior at mites Zephyros complectitur aura,
 Pingua quae gelida liberat arva nive.
 Hinc se diffundens pratis redolentibus, ultra
 Prodigit Hyblæas area dives opes.
 Umbrosumque nemus pennis librata pererrat
 Tempora quae gracili gutture fallit avis.
 Dixeris aeterna sic condita singula lege,
 Ut nihil ad votum possit abesse tuum.
 Hic ubi desedit, solo subnixa chorusco,
 Perplacuit rutilam fingere caesariem.
 Alma cohors comitum molli devota labori
 Advolat: haec vitreo nectaris imbre rigat:
 Multifido sub dente comam discriminat illa:
 Tertia sed retro doctior, arte ligat.
 Cum subito laetum stridens per inane Cupido
 Advenit, ac matris labitur ante sinum.
 Lactea formosis incingens colla lacertis,
 Victrici ostentat praelia gesta manu.
 Illa sub haec puerum dictis affata ferocem,
 Haec dedit imparibus verba coacta sonis:
 Nate meae vires, regnique potentia nostri,
 Cuius et hauserunt sydera saepe faces:
 Dic age, quod tantis mihi nunc assaultibus adsis,
 Quae tibi sic hilari causa subesse queat:
 Num sumpta rursus fallacis imagine Tauri,
 Tractat Agenoreos Juppiter usque dolos?
 Furta vel intentat Ledaea Caystrius ales:
 Vel sequitur Daphnen magnus Apollo suam:
 Has te quandoquidem dudum molirier artes,
 Haud fugiunt animum conscientia signa meum.
 Ut quod in immenso coelum revolubile tractu
 Continet, imperio cedat avare tuo.
 Talia sed contra, cupidæ responsa parenti
 Subridens tenero reddit ore puer:
 Non equidem flexos coelis intendimus arcus,
 Nostra sed alterius sanguine tela madent.
 Cui prius aegiferam sectatus Pallada longo
 Tempore, vel Charitum colle bifonte choros:
 Evax, his tandem fixus flammantibus armis,
 Sternitur in casses lubrica praeda meos.
 Ecquis enim locus, aut quae sic impervia famae
 Urbs erit Austriacis, Stiriacisve plagis?
 Carnia vel Geticis qua es Mavortia terris
 Porrigit, et pugnax bella cruenta ciet?
 Quo Jöchlungeri quandam rumore secundo
 Altius ad laudem non penetrabit amor?

Is nam turrigera postquam digressus ab arce,
 Hic, ubi flaventes incitat Ister aquas,
 Et foveat Aönium populosa Vienna Lycaeum,
 Quod dedit emerito laurea serta duo:
 Euganeis validam petuit sub collibus urbem,
 Dardanus huic statuit moenia prima senex:
 Sacrarium plenis ut legum fontibus haustis,
 Sollicitam patriae ferret honoris opem.
 Et pia legitimis favit Rhamnusia coepitis
 Ipseque iam patriae commoda mille vehit.
 Carolus Austriacae soboles clarissima gentis
 Scit, sit ut illius firma tenaxque fides.
 Unde virum tanto regali munere Fisco
 Mira patronum dexteritate legit.
 Sentiet ac meritis nitidam praestantibus Aulam,
 Non alia posthac conditione frui.
 Hunc ubi versantem libros, semperque morantem
 Taedifero, vidi, subdere colla jugo:
 Arte dolos, cornuque fremens onerare sagittis,
 Et mens fert calidis urere corda focis.
 Induo depressi faciem, simulansque libellum
 Ut faciat querulum supplice posco prece.
 Fingitur immani gravis hinc iniuria facto,
 Auctaque terrificis vis truculenta minis.
 Ille citus calamos, nigrumque ut forte liquorem
 Expedit, ac questus tincta papyrus arat:
 Ocyus adnixo quatiens hostile lacerto,
 Pectore sub medio fulminis instar ago.
 Hausit amans ferrum, lentoque incanduit aestu,
 Saucia nec tenuis corda fatigat amor.
 Intima quid tacito subeat praecordia motu,
 Nescius officium, negligit inde meum.
 Mox alias aegro nectens in corpore causas,
 Tempore post veniam commodiore iubet.
 Interca fluidas nova carpens flamma medullas,
 Usque adeo vertit libera sensa viri:
 Lumina quod sola defigeret altius Anna,
 Esset quae tanti certa medela mali.
 Hanc petit, hanc multis ex millibus eligit unam,
 Gaudia quae tepido fundat amoena sinu.
 Et non immerito. Quis enim, si mente recurset
 Ingenuas dotes, improbet hosce thorus?
 Illam magnifica, dictus locus, umbra Viennae,
 Austria qua clivo¹⁾ subiacet ora, tulit.
 Index huic pater est, maturo aequissimus aevo,
 Nomine sic pariter²⁾ Anna verenda pari.
 Casta domus, virtute nitens, probitate serena,
 Vitaque labo carens, ambiguoque dolo.
 Unde licet pulchro stent plurima corpore dona.
 Vernet et in niveo vividus ore color:
 Attamen his poterit nihil ultra laudibus addi,
 Quas vehit intacta virginitate pudor,
 Alma fides, pietasque decens, et gratia morum,
 Simplicitas, et spes indolis ampla bonae.
 Ergo parens dilecta Diis, gratemur honori,
 Clareat ut Paphia principe pactus Hymen.
 Dixit, et arridens fraudi Cytheraea repertae,
 Se mox graminea sede venusta levat.

¹⁾ Inačica pod vrstico: *Styræ*.

²⁾ Inačica nad vrstico: *mater*.

Sumit Achaemeniae post haec velamina telae,
 Atque suum capiti dat diadema sacro.
 Floribus instruitur currus fragrantibus halans,
 Quem trahit ad notum bina columba iugum.
 Pone legit socium mixto vestigia cantu
 Agmen, et imbellies intonuere lyrae.
 Undique respondet silvis resonabilis Echo.
 Quaeque sub arborea fronde susurrat avis.
 Perstrepit attonitus tremulis concentibus aer,
 Et praebet liquidum pronior axis iter.
 Postquam visa domus tenuere cubilia votae,
 Ingressaeque vagas iam subiere fores:
 Desuper invertunt calathis violaria plenis.
 Pressaque puniceis flumina larga rosis.
 Cortice dehinc Phario sudantia balsama circum
 Spargunt, queis teretes immaduere thori.
 Tunc sponsos aggressa Venus, manibusque prehensos
 Implicat, et sancto munere functa refert:
 O fortunati, vegetis quibus integer annis,
 Mutua sic licite viscera torret amor:
 Assistuntque piis coelestia numina taedis,
 Sidere vel coepitis prosperiore favent.
 Invidiae non livor edax, non dira nocebbit
 Vobis Alecto, fex nec amara Stygis:
 Gratior at lenes afflans Cylleus ignes
 Discutiet radiis nubila quaeque bonis.
 Vivite sub tanto Divorum numine tecti,
 Nam vestros fugient aspera fata thorus,
 Oscula mille sonent: circumdata brachia collo
 Delicias servent irrequieta suas.
 Labra ligent animos, animi quoque corpora iungant,
 Nec semel inceptus diminuatur amor.
 Vive tua Wolfgangi diu cum coniuge salvus,
 Et magna Pylios transige laude dies.
 Vive tuo simul Anna diu cum coniuge salva,
 Seraque Cumaeae saecula vatis age.
 Non secus ac fidae, litis sine labe, columbae
 Basia purpureis ferte referete genis.
 Cumque suos novies cursu compleverit orbes,
 Exeret ac gravidas pallida Luna rotas:
 Mascula vos faciat proles victura parentes,
 Unde nepos veteres nomine signet avos.
 Dicit: et accipiens Nymphis famulantibus apte
 Imposuit doctis serta Hymenaea comis.
 Ingeminant cuncti plausus, mox ordine longo,
 Ducunt ad resonas orgya crebra fides.
 Denique non vanis passim sermonibus optant,
 Ut thalamos firmet dexter Apollo novos.

29.

Distichon numerale, annum, mensem, festum atque diem nuptiarum continens.

A Vrea thesaVrls onerant praesepia Reges
 Et taeDls seXto LVMIne Iane faVes.
 (Nadaljevanje prih.)

Vsebina. *Libellus poematum sire carminum variorum generum Thomae Chroñni Labacensis Carniolani LL. Candidati.* (Nadaljevanje.)